

- A** non catholicos, sed erroneos, alios scandalosos & blasphemos, quosdam piarum aurium offensiuos, nonnullos eorum temerarios & seditiosos. Compertum est etiam, liberos eius plures alios articulos continere similibus qualitatibus, doctrinamq; in de ecclesia uel sanam, & fidei ac moribus inimicam inducere. Propterea in nomine dñi nostri Iesu Christi hæc sancta synodus sententias prædictorum archiepiscoporum ac concilij Romani ratificans & approbans, prædictos articulos & eorum quemlibet, libros eiusdẽ dialogũ & tralagũ p eundẽ Ioannẽ Vuicleff nominatos, & alios eiusdem autoris libros, uolumina, tractatus & opuscula, quocunq; nomine censeantur, quos hic haberi uult pro sufficienter expressis, hoc perpetuo decreto reprobat & condemnat. Et eorundem librorum & cuiuslibet ipsorum lectionem, doctrinam, expositionem et allegationem, nisi ad eorum reprobationem, omnibus Christi fidelibus prohibendo inhiibemus omnibus et singulis catholicis sub anathematis interminatione, & ne de cætero dictos articulos uel ipsorum aliquem audeant publice prædicare, dogmatizare, tenere, uel quomodolibet allegare, nisi ad eorum reprobationem, ut dictum est, iubens illos libros & tractatus, uolumina & opuscula prælibata publice concremari, prout decretum fuerat in synodo Romana, sicut superius est expressum. Super quibus exequendis & debite obseruadis, mandat prædicta sancta synodus ordinarijs locorũ uigilanter intendere, ut ad quẽlibet prinet, secundũ iura & canonicas sanctiones.
- C** Concilium pronunciat hæreticum Ioannem Vuicleff, ac memoriam eiusdem condemnat, & mandat exhumari ossa ipsius.

Insuper quia auctoritate sententiæ & decreti Romani concilij, mandatoq; ecclesiæ & sedis apostolicæ datis dilationibus debitis, processum fuit super condemnatione dicti Ioannis Vuicleff & suæ memoriæ, edictis propositis denunciationibusq; ad uocandum eos, quẽdẽ siue eius memoriã defendere uellẽt, si q; penitẽ existerẽt. Nullus uero cõparuit qui eundem siue eius memoriã defensaret. Examinatis insuper testibus super impenitentia finali pertinaciãq; dicti Ioannis Vuicleff per commissarios deputatos per dominum Ioannem papam modernum & hoc concilium, seruatisq; iuramentis, put in tali negotio postulat ordo iuris, de eius impenitentia ac finali pertinencia, per euidencia signa testibus legitimis comprobata, fuit legitime facta fides. Propterea instante procuratore fiscali, edictõq; proposito ad audiendum sententiam ad hanc diem, hæc sancta synodus declarat, diffinit, & sententiat, eundem Ioannem Vuicleff fuisse notorium hæreticum, pertinacẽ, ac in hæresi decessisse, anathematizando ipsum

- C** pariter & suam memoriã condemnando, decernitq; & ordinat, corpus & eius ossa (si ab alijs fidelibus corporibus discerni possint) exhumari, & procul ab ecclesiã sepultura iactari, secundum canonicas & legitimas sanctiones. Super quibus lectura, publicatione, pronunciatione & diffinitione siue condemnatione, dominus Ostiensis, prædicens, & dicti quatuor nationum quatuor præsidentes, interrogati an placeret, responderunt omnes, & primo Ostiensis, deinde nationum præsidetes, quod placeret. Et approbauerunt omnia prædicta.

SESSIO NONA, IN QVA PRODVCBATVR

executio citationis contra Ioannem papam uicesimum tertium.

DIE lunæ decimatertia mensis Maij supradicti fuit sessio generalis in ecclesia cathedrali Constantiensi. supradicta, in qua præsidebat reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis cardinalis Viuariensis. Cui sessioni interfuit serenissimus princeps Sigismundus Romanorum & Hungariæ rex cum suis nobilibus & insignijs regalibus. Et fuit cantata missa de angelis, uel delict, Benedicite omnes angeli &c. per reuerendum patrem dominum Robertum episcopum Saresbiriensem nationis Anglicanæ. Qua quidem missa cantata, legebatur letania & alia more aliarum sessionum, cum euangelio, Erunt signa in sole & luna Lucæ, 17, e &c. Deinde uero dominus Andreas electus Poznaniensis, legebat quosdam conclusiones & literas, quarum tenores sequuntur, & sunt tales: